

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.I.], 1711**

II. Defectio Angelorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

breve gaudium! Decima tertia ab ortu mundi die Eva, serpentis fraude seducta, pomum carpsit vetatum , maritum in criminis, pænaque communio nem traxit ; uterque posteritatem omnem ærumnis & miseriis inexplicabilibus involvit ; uti paullo post memorabimus , si prius ruinam Angelorum expo fuerimus.

## NAR. II. D E F E C T I O ANGELORUM. Apocal. 12.

**P**rincipium divinorum operum , quæ Majestas æterna , bonitatem suam diffusura , produxit , cœlum , ut supra narravimus , fuit Empyrium ; tum aqua & terra ex puro puto *miblo* procreata . Ut verò sedes illa DEI gloriofa , amplitudinis immensæ , aspectibus humanis inacceſſa , immota ſemper & quieta , nulli obnoxia deſtructioni , deliciarum omnium patria , colonos ne desideraret , Spiritus ſunt conditi , ſeu Mentes puriſimæ , ab omni corporis concretione separatæ , multitudine innumera biles , in tres Principatus ( Græcis Hierarchias ) diuiſæ , & hæ , ternos in ordines , quos Choros apellamus , partitæ . In ſuprema quidem Hierarchia collocati *Seraphini* , qui divinitatis amore calidiflamo flagrant : *Cherubini* , ſcientia DEI profundiflā lu centes : *Throni* , rebus pacatè continendis , & ut ſolum

lum sedēmque quodammodo , quiescenti D E O  
præbentes. In media, *Dominationes*, adjuvantes cæ-  
teros spiritus cælestes ad gloriam D E I promoven-  
dam ; *Virtutes*, ad corpora tuenda ordinatæ ; prom-  
ptæque , & expeditæ ad opem largiendam Angelis  
inferioribus , circa divinum obsequium occupatis:  
*Potestates* , ad diabolicas irruptiones retundendas.  
In infima *Principatus* destinantur ad universam na-  
turam humanam adjuvandam , tanquam primi du-  
ces in ejus rei executione : *Archangeli* , celsioribus  
nuntiandis, ac provinciis administrandis præfecti ;  
*Angeli* denique ( id, quod vocabulo præferunt ) nun-  
tij mittuntur ad mortales *Particulares* , privatim fe-  
rè dirigendos.

Eorum Ordinum alij aliis præstant , unde superio-  
res illuminant mentes inferiorum , suas cum ipsis  
cogitationes & affectiones communicando , quod  
Eruditi *Locutionem Angelicam* vocant. Instructi sunt  
omnes intelligendi vi acerrima , & inflammata in a-  
morem Divinæ Bonitatis voluntate ; quibus acceſ-  
serunt egregia naturæ tum præsidia , tum ornamen-  
ta ; potentia videlicet , & robur admirandum : agi-  
litas ac celeritas incredibilis ; & quod longè majus ,  
*Gratiæ* ac virtutum dona amplissima , quibus redde-  
bantur *Filij DEI* , regnique cælestis legitimi hære-  
des. Unicum ad consummandam felicitatem de-  
erat , perseverantia , ( *Angelicæ viæ terminum* vocant )  
præfixo exigui temporis intervallō , cuius intra spa-  
tium operibus D E O placitis , ad præmia perveni-  
rent ; secus si facerent , cœlo , quod insidebant , ex-  
trusi , poenas alibi darent sempiternas. Cæterū à  
constantia ut desciscerent , evenit culpâ Turbatoris

unius, quem sacræ paginæ *Luciferum* nominant. Fuit in hunc congestum, quidquid ornamentorum *Spiritualium*, quidquid naturæ, *Gratiæ* dotum, omnes alij novem Ordinum Angeli possedissent, quippe principatu in omnes potientem. Sed nocuit & Angelo felicitas nimia, ne quis deinceps admiraretur, difficilius homines secundam ferre, quam adversam fortunam. Defectionis causas alij alias adferunt; quidam ajunt, Luciferum invidiâ stimulatum iniquissimè tulisse, hominis dignitatem, in æqualem *Gloriæ* cum Angelis possessionem, ventram. Alij sentiunt, Deum Angelis adhuc in *Cursu* *Via* suæ constitutis, aperuisse *Verbi* Divini futuram cum humana natura conjunctionem; & Hominem illum constitutum iri, non mortalium modo, sed & Angelorum omnium Caput ac Regem, cui famularis adorationis obsequium jam tum detrectarit Lucifer. Alij denique asserunt, ipsum insolente mentis elatione, æqualitatem ambiisse Numinis, neque suâ contentum arrogantiâ, quoscunque præterea potuisset Angelorum, in societatem & contagem pertraxisse.

Hunc igitur regem, hunc caput certatim adoptabant rebellionis participes, *similem* Altissimo, Parem Incomparabili, Deique Collegam acclamantes. Scindebatur in factiones, ac studia cœlum. Pars etenim melior, sincerorque peracriter est in Luciferianos invecta. Primus atrocis prælij dux Michaël, è Seraphinis unus, qui Angelici sermonis vocibus, desertores attonans, *Quis*, inquit, *sicut Deus?* (hoc enim nominis ejus significatio indicat) simulque cum Angelorum socialium fidis Ordinibus in per-

perduelles pugnavit, non jaculis, vel hastis, aut gladiis, sed odis mutuis. Tenuit prælium, arbitrō DEO, quoad ei visum est, obstinatos in pravo, dignis cladibus; emeritam autem virtutem, præmiis immobilibus absolvere; tum verò continuò fulminante Numinis decreto, fulguris more præcipitatur cœlō Lucifer in tartarum, fitque calamitosorum extremus ille, qui momento priùs desiderat esse DEUS. Cum incentore corruerunt Aſſeclæ, pars tertia Angelicarum Mentium; Geniorum verò in obsequio manentium uno temporis puncto simul & militia finitur, & *Via*, (tempus ſcilicet merendæ beatitudini æternæ præfixum) firmatis *Gratiæ* statu, *Gloriæ* confertur immortalitas, bene geltæ rei merces, atque stipendum,

Michaële in locum Luciferi subrogatō, sempiternum ejēctis exilium indicitur; exuuntur cœlestium donorum ornatū: non relinquitur cognitio, quæ moveat ad opera D E O placitura: non mentis in divinis perspicacitas, & erroris omnis expers lumen; voluntatis incessit tanta depravatio, ut assiduo veretur in proposito, malum aliud ex alio concitandi, cum immortali Numinis odio, inflexibilitate ad retractandum facinus, inque pravè ſemel cæptis obſtinatione. Integra tamen eis perſtiterunt omnia, quæ ſecundūm naturæ conditionem tenuerant, poterāntque. Qualia ſunt, *Inveniendi* quidvis, & ex cogitandi acumen atque celeritas; potentia ſuimet, & aliorum ē loco motrix, & in locum deportatrix; ponderum gravissimorum translatio; quatuor mundi elementorum, non in toto quidem, ſed in partibus concuſſio; diversi generis, tam corporum,

rum, quām vocum ac sermonum, ex aēre condensato, formationes ac difformationes; & ad temporis partem aliquam *assumptiones*; oculorum ludificationes; *agentium* item ad ea, quae *patiuntur*, applicationes, & ē radicum, herbarum, gignentiumque cæterorum, occultis, sed sibi percognitis viribus, *inopina* remedia; remediisque atrociora detrimenta, pestes, ac funera; quæque cæterorum præterea spectant, ad mille malarum artium, & eventuum Auctores, quibus idcirco Magi, sagæque suplices, ac clientes fiunt.

Non omnes tamen, qui Luciferi se partibus adjunixerunt, eodem statim unā descenderunt: sed, aut quoniam alij aliis minūs, magisve rebellionem adjuverunt, pro malitiæ diversitate, diversa sunt loca sortiti; vel quoniam, ob rationes nobis incomptas, quosdam eorum in his potius, aut illis elementorum regionibus, quām aliis, Numini visum est attinendos; relicti quidam extra gehennam sunt: exercendæ mortalium vel patientiæ, vel pœnæ. Quorum cùm extra orcum adhuc agentium maximum sit tormentum, quantum eorundem aliquando fore credamus cruciatum, cùm eò detrūs fuerint omnes, extinctō mundō? quāmquā, ubicunque locorum nunc degant, aut quoconque divagentur, secum pœnam suam, nullō laxamentō circumvectant. Quorum multi varias & tetras animalium formas mortalibus vel territandis, vel fallendis mentiuntur. Libertas porrò superbissimum Geniorum in angustissimo carcere comprimitur; ignis inferi vis, & carnificina, Spiritus illos æquè, sicut & animas postea perditorum hominum,

do-

doloribus immensis, modisque, licet miris, tamen plus nimio veris, singulos pro suis majoribus, minoribusve rebellionis meritis torquet. Et mentis, & loci tenebræ, Cimmeriâ quavis caligine spissiores; loci chaos execrandum; pœnarum acerbitas, nec ad punctum quidem, mitigationis capax; conscientiæ sœvientis semper, mordensque vermis, malum mentibus humanis pariter, & Angelicis, intolerabile; continuati doloris assidua præsentia; bonorum omnium cumulatissima desperatio; nec spes vel veniae, vel finiendi cruciatûs ulla. Denique præclusa non tantum sperandi, sed respirandi quoque facultas omnis, irrevocabili Numinis & obfirmatô decretô. Quibus ex rebus nascitur eis, & nunquam emoritur assidua tormentorum, & ignis, cum sensu cogitatio: proindeque DEI inflgentis odium, detestatio, criminatio, cum tristitia quadam, & rabie, verbis nullis explicandâ. Coronat autem hæc tot mala, termini nullius patiens, suppliciorum æternitas, quæ tanto gravior infelicibus illis Spiritibus accedit, quanto brevior illis fuit, suapte culpâ, concessus primævæ felicitatis fructus, & in empyrio quondam cœlo mora, quam Scriptores aliqui ad triduum; ad unam alij diem; quin etiam ad unius nostratis horæ spatium extendunt. O superi! tantum meruit supplicium capitale crimen unum unicum. An conscientia, mille flagitorum immersa sordibus, spes sibi fingat inanes?

NAR-